


D E
LITERIS ENCYCLICIS
DISSERTATIO
FRANCISCI DOMINICI BENCINI
ABBATIS SANCTI PONTII
A D M A G N U M
VICTORIUM AMEDEUM
SARDINIAE REGEM.



AUGUSTAE TAURINORUM M.DCC.XXVIII.

Ex Typographia JOHANNIS FRANCISCI MAIRESSE.
Superiorum permissu.



M A G N O
VICTORIO AMEDEO
SARDINIAE REGI

FRANCISCUS DOMINICUS BENCINI F.



*Vae res in veteri nuncupan-
dorum Librorum consuetudine
plurimum possunt, conditio Au-
toris, Moecenatis amplitudo,
& Operis argumentum, eae
simul omnes fecerunt, REX
INVICTISSIME, ut tenue hoc Literarum nostra-
rum Munusculum ad Majestatis Tuae pedes defer-*

PROOEMIUM OPERIS.



Q^uartus Annus supra Trigesimum jam vertitur, ex quo ad Fidei, & Religionis disciplinam illustrandam, vendicandamque, Romae primum, tum in hac Taurinensi Academia divino munere, Summorumque Principum autoritate admotus fui. Ac principio quidem saepe mecum reputavi, quid demum causae esset, quod, quum tam multae lucubrationes Virorum pietate, ac doctrina praestantium, summo Catholicae Ecclesiae bono prodierint, levi nihilominus, & nullo ferè profectu ab alienae Communionis hominibus exceptae sint, nonnullae etiam ad haereticalis pertinaciae argumentum traductae: Donec in mentem venit, ortum id maximè ex anticipata quadam illorum opinione, in qua evellenda, praecipua Polemicorum desudare debet industria; quodque nisi fiat, omnis perit labor, atque opera luditur in singularibus de dogmatis contentionibus. Scilicet ut illi nobis plerumque non intercedunt, quum de Scripturarum Divinarum autoritate, & pondere, ac de Fidei capitibus, quae iisdem Divinis Instrumentis diserte evidenterque prodita sunt, ex instituto nostro disquirimus; ita quaecumque nos à Dei verbo tradito repetimus dogmata, atque à Patrum, Conciliorum, Pontificum, ceterorumque Scriptorum persuasione, & monumentis literarum haftenus illibatè custodita, docemus, multis illi ambagibus, innumerisque contentionum molestiis implicant, hac imprimis de causa, quod velut res in utramque partem versatiles ab ipsis Veteribus habitas, opinentur, easque in tantum adiaphoras, ut



I
DISSERTATIO I.
DE
LITERIS ENCYCLICIS
IN COMMUNI.



U^T nulla disciplina est, nulla facultas, recondi-
tiorum Studiorum Viris vel mediocriter profu-
tura, quae ad faciliorem sublimioremque veri-
tatis indagationem, multa ex principiorum ex-
planatione adjumenta sibi non comparet: ita,
ut quod pertractandum suscipimus Epistolarum
Encyclicarum argumentum pro sui dignitate majestateque
elucescat, danda imprimis est opera, quatenus ea de singu-
lis disseramus, quae in materia cursim ab aliis atque obiter
tacta, veram suscepti laboris ideam, justamque aestimatio-
nem ingenerent. Rem igitur ab ovo, quod ajunt, aggre-
dientes, earumdem Encyclicarum nomen, essentiam, divi-
sionem, latorum, recitationis modum, atque alia huc per-
tinentia expendemus. Equidem in suscepto labore verissi-
mum illud esse comperi, quod fert vulgaris paraemia, diem
scilicet à die doceri, & invenire hodiernum, quod hester-
nus praeteriit. Hinc enatae mihi passim novae per Veterum
monumenta observationes, quibus, ut fieri potuit, com-
pletum benevolo atque erudito Lectori opus exhiberem. Ea
itaque in priori hac Dissertatione discussa exhibebimus om-
nia, ex quibus Encyclicarum materies, & forma verior
exurgit; haec eadem illustrius pressiusque demonstraturi,
quum editas in primitiva Ecclesia Encyclicas in Secunda Dis-
sert. recenserebimus.